

n. 91, 5.

LXXII. b.

II, 47.

J. S. Deyling
De reformat. orbis Lipsiens. atq. periculis & difficultatibus huius temporis

RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

YC
6081

AD

SACRA

PENTECOSTALIA

ET

SECVLARIA MDCC.

SOLEMNI RITV

ATQVE

ORATIONE PVBLICA

IN

AEDE PAVLLINA

CELEBRANDA

QVA PAR EST HVMANITATE

INVITAT.

BIBLIOTHECA
POMERANICA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

RECTOR

ACADEMIAE LIPSIBENSIS

AD

S A C R A

FRONTISCOPTALIA

ET

SECVLARIA

SOLEMNI RITV

ATQVE

ORATIONE PVBLICA

DE

ARDE PAVLLINA

CELEBRATA

QVA PAR EST HUMANITATE

IN VEST





ediiit tempus secundo Ecclesiae Lipsiensis Iu-
 bilaeo sacrum, quod nobis in memoriam re-
 uocat perinsigne repurgatae religionis, eius-
 demque palam profitendae libertatis, tot pio-
 rum votis diu efflagitatum beneficium,
 ducentis abhinc annis huic vrbi, et vniuer-
 sae patriae, a diuina bonitate collatum, atque inter innume-
 ras difficultates, hostiumque insidias, ad hunc vsque diem
 Dei immortalis procuratione praesidioque conseruatum. Au-
 getur igitur mirum in modum festi Pentecostalis solemnitatis,
 pio maiorum more ab Academia nostra celebranda, quae di-
 uini amoris amplitudinem in Christi Iesu non tantum, sed
 et Spiritus S. missione cumulate declaratam, repraesentat,
 atque nouo emendatae doctrinae dono, quo maius et prae-
 stantius inde ab Apostolorum aetate generi humano non
 obtigit, hoc ipso tempore illustrat, cuius accessio et pia re-
 cordatio omnium ciuium animos perinde ac cunctos eius-
 dem instauratae religionis socios, ingenti gaudio perfundit,
 et ad gratiarum actiones precesque pro tanto thesauro, no-
 bis posterisque sancte custodiendo, fundendas, excitat ac
 mouet. *Iubilate igitur Deo omnes, cantate gloriam nomini
 eius: Ponite gloriam laudum eius. Omnes habitatores
 terrae incuruent se tibi, et psallant tibi, psallant nomini tuo.
 Venite et videte opera Dei,* Psalm. LXVI. v. 2. et 4. Benefi-
 cii magnitudo nequit intelligi, nisi periculi magnitudinem,
 et illorum temporum calamitates, ac difficultates, quibus pa-
 tria et ecclesia vrgebatur, paullo diligentius in mentem re-
 uocemus, et summam ex rerum gestarum annalibus repe-
 tamus.

Ante hos ducentos annos ordines et ecclesiae purio-
 ra sacra professae, per vniuersam Germaniam in magno moe-

IV

rore et sollicitudine versabantur. Metum iniecerat Rom. Pontificis Pauli III. Nicaeam profectio, ac colloquium cum Caesare ac Galliarum Rege, concordiae atque pacis faciendae causa, non tam ad *perditos recuperandos*, *) vt PALLAVICINVS ait, quam ad opprimendos, excindendosque **) anno MDXXXVIII. institutum. Foedus Norimbergae aduersus Euangelicos inter Romano-Catholicos Principes initum, et fulciendis, tuendisque inueteratis erroribus inferuiturum, atque a Pontifice, foederi accedente, confirmatum, non leuiter territabat recte sentientes. Inter primos foederis duces erant LVDOVICVS Bauarus, et HENRICVS Brunsvicensis, qui nihil non agebat, vt belli, Euangelicis Ordinibus inferendi, nulla occasio praetermitteretur, et proxime fieret calamitatis initium. Quem in finem nouo quodam ac inaudito inter viros Principes exemplo nullum omisit acerbitatis, criminationis et contumeliae genus, sicut libri, eo tempore typis excusi, demonstrant. ***) Conuentus Imperii Ordinum ineunte anno MDXXXIX. Francofurti pro concordia inter partes dissidentes facienda insidiosè ****) indictus, euentum habuit dubium, et minus exoptatum. De religio-

*) v. SFORT. PALLAVICINI *Hist. Concil. Trid. L. IV. Cap. VI. f. 124.*

**) Orator Venetus THEVPVLVS, qui eo tempore Nicaeae non solum praesens, sed et arcanorum Regionum particeps fuit, retulit, se a Pontifice et Caesare factum certiozem, magna actum contentione, vt Gallorum Rex armorum foedus cum ipso contra Turcas et Lutheranos percuteret, apud ODOR. RAYNALDVM *ad hunc annum §. 14.*

**) Tandem in bellum apertum haec scriptorum praelia A. 1542. deserunt, notante DAV. CHYTRAEO in *Chronico Saxoniae Libr. XV. f. 443.*

****) Rem prodidit ODORIC. RAYNALDVS *ad annum MDXXXIX. §. 2. Pontifex, Imperator, ceterique Catholici Principes, recte considerantes, plenam difficultatibus periculisque rem esse, Lutheranorum depressionem armis pertentare, eo, quod Protestantes adeo aucti essent, qui ni superarent, pares saltem Catholicis numero essent; idcirco de concordia agendum cum Protestantibus satius esse decreuerunt.*

religione quippe non conuenit, et satis breue erat induciarum tempus, exiguo quindecim mensium spatio, a proximis Calendis Maii 1539. incipiendo, definitum, ac permolestis conditionibus, inprimis de Euangelicorum foedere, aliorum Principum accessu non amplificando, satis difficulter impetratum, sed a Caesare non confirmatum, cuius animum, nostris dudum infensum, Pontifex *) ad vindictam, et excidium Lutheranis inferendum, indies magis accendebat, et Principem iam antea satis incitatum, irritatumque, impediabat, quo minus certam et aequam ac diuturnam pacem nostris polliceretur. Mindenses, Protestantium focii, a Camerae imperialis iudicibus, ob litem propter nonnullos redditus annuos, eosque perexiguos **) a loci antistite, aliisque viris ecclesiasticis motam, non sine praefectu et mandato Caesaris, proscripsi, vim et iniuriam videbantur passuri, suoque exitio commonefacturi ceteros Ordines Auguft. Confessioni addictos, quid sibi expectandum foret. Rex Angliae HENRICVS Smalcaldicis foederatis, multa equidem pollicitus erat, sed a subdolo, varioque eius ingenio reuera nihil poterat exspectari. ***) Accedebat annonae

A 3

diffi-

*) Pontifex IO. RICCIUM, a patria, Montepolitanum, eiusdemque loci postea Episcopum et Cardinalem ad Caesarem in Hispaniam mense Augusto expediuit, qui eum ad pacis et decreti Francofurtani, quod *nesarium* vocat, rescissionem hortaretur, ostenderetque, illud confirmari non posse, nisi Caesar a fide et obsequio sedis Apostolicae desicere velit. Mandata legato data integra produxit RAYNALDVS l. c. *Num. IX-XIV.* furiosi in Euangelicos odii plenissima.

**) *Lis erat de sexaginta florenorum annuo redivo, quorum caussa tantae turbae excitabantur.* Ita Illustr. SECKENDORFF. in *Comment. ad H. L. III. Sect. XX. §. LXXIV. f. 233.*

***) Nam hoc ipso tempore HENRICVS, Angliae Rex, spem, abdicata Romani Pontificis auctoritate, nec non primatu in ecclesia Anglicana sibi asserto, ac monasteriorum in omnibus totius regni prouinciis subuersione, et amplis pollicitationibus apud Euangelicos Ordines nuper excitatam, funditus diruit, lege *seu articulorum*, communi senatus

difficultas, quae Germaniam vniuersam adffigebat. Multis in locis laborabatur fame, et imminebat bellum, a Turcarum ferocia, et religionis Euangelicae aduersariis, proxime inferendum. Vere ineunte in Westphalia ingens militum manus ab HENRICO Brunsvicensi, hostilis exercitus ductore, coacta, confluebat, vrbi Bremae, et vicinis Ordinibus, Smalcaldico foedere iunctis, magnum terrorem incussura. In tanta temporum difficultate, et communi metu, Diuus LVTHERVS, scripta ad animarum pastores diuulgataque epistola *) eos, perinde ac plebem vniuersam, enixe hortabatur ad preces, pro auertendo Turcarum et Pontificiorum impetu ad Deum fundendas. In hac vrbe, et vniuersa provincia, Dux GEORGIVS, promulgato nouo edicto, seuerè interdixit ciuibus, ne in vicina Electoratus Saxonici, purioris religionis luce dudum collustrati, loca, Euangelii audiendi caussa, excurrerent, nec Sacra Eucharistia integre, secundum Christi institutionem, vterentur. In illos, qui non obtemperabant, multa, carcere, exilioque grauiter animaduersum est. Sed illa vexatio et veritatis oppressio minus fuit diu-

regni consensu, promulgata, et capitis poena in eum constituta, qui secus doceret ac profiteretur, quam in S. Eucharistia e. g. ita corpus Christi sub forma panis adesse, vt abolita sit panis ac vini substantia. Nihil referre ad salutem, an vtrumque, aut alterutrum symbolum sumatur, cum sub veralibet specie votus contineatur Christus. Sacerdotibus non licere matrimonium contrahere. Vota semel nuncupata necessario praestanda esse. Missas primatas in ecclesia retinendas esse cum auriculari delictorum dinumeratione. Quae decreta religionis et regni Pontificii nerui sunt. Haec sua dictata Rex pro oraculis haberi volebat. Legatur GVILB. BVRNETI *Historia Reformationis Ecclesiae Anglicanae T. I. ad annum MDXXXIX. f. 145.*

*) Extant illae literae T. VII. Altenburg f. 307. vbi B. LVTHERVS ait: Die Papisen haben längst in Sinn gehabt ein Unglück anzurichten in Deutschen Landen, können auch nicht aufhören, toben ie länger ie mehr, und hättens jetzt im vergangenen Sommer gern gethan, wo Gott nicht sonderlich dafür gewest wäre.

diuturna. Spem illam Lipsiensibus exulibus, religionis Euangelicae causa ciuitate eiectis, ac proscriptis, B. LUTHERVS fecerat in literis consolatoriis A. MDXXXIII. exaratis. *) Praedictionis veritatem probauit euentus. Nam ex machina quasi adfuit Deus, cuius prouidentia adflictissimae ecclesiae opem tulit. Nam Duce GEORGIO, acerrimo veterum rituum et errorum patrono, ac statore, extincto, repentina rerum omnium conuersio est sequuta. Aulici equidem Dresdenses, cum consilium de religione concilianda, emendandoque religionis statu, et clericorum in primis luxu minuendo, haud successisset, miras excogitauerant artes, quibus impedire volebant, ne prouinciae fratri HENRICO, Euangelicae addicto religioni, post excessum GEORGII obuenirent. Amiserat ille ante biennium mense Ian. 1537. filium primogenitum IOANNEM, cui ELISABETHA Hassiaca matrimonio, sed sterili, fuerat iuncta. Supererat ex numerosa prole nouem liberorum, quos ex BARBARA, CASIMIRI, Poloniae Regis filia susceperat, vnicus eius filius, FRIDERICVS, sed mente non satis constans, cui, etsi nec ad regimen, nec ad coniugium, a quo etiam abhorrebat, idoneus erat, sub initium anni 1539. AGNES, ERNESTI, Comitis Mansfeldii filia, coniux elocabatur. Sed gaudium illud cum spe prolis masculae ex eo matrimonio suscipiendae, repente euanuit. Nam vix vno post nuptias mense elapso, Princeps, nimio Veneris vsu, arte Medica **) excitato, debilitatus, et viribus exhaustus, defecit, et Patri, aetate, moerore ac curis iam tum confecto, ingentes sollicitudines reliquit. Creuit in dies animi aegritudo, cum praesertim spes de

*) Vide Tom. VI. Altenb. f. 16. nec non Illustris SECKENDORFFII Historiam Lutheranismi L. III. ad annum 1533. Num. XXX. edit. German. p. 128.

**) Haec multorum eo tempore coniectura fuit, ab ipso IO. FRIDERICO Electore in Fragmento historiae MS. annotato, teste SECKENDORFFIO in Commentario de Lutheranismi L. III. f. 213.

VIII

de nuru grauida, et filiolum posthumum enixura, decollasset. Hac arte, inopinata FRIDERICI morte disiecta, et elusa, nouum quid, ac monstri simile, utpote familiae Saxonicae atque Hassiacae pactis aduersum, excogitarunt aulae proceres. Eorum quippe consiliis Dux GEORGIVS eo induci se passus est, ut, confectis vltimae voluntatis tabulis, fratrem HENRICVM, ad quem ex Testamento auito peropima et ampla hereditas, ac regimen prouinciarum deuoluebatur, excludere, certe eo adigere vellet, ut data fide iuraret, nolle se, et heredes veterem religionis formam immutare, sed Principum Catholicorum foederi, Norimbergae eum in finem inito, se accessurum, polliceretur. Si parere nollent, et noui quid in religione molirentur, CAESARI, atque FERDINANDO Regi, hereditatem amplissimam cum omnibus ditionibus obuenturam, donec vel frater, vel eius filii, aut ex ea familia proximior, conditiones impleret. *) Sed piissimus Princeps, ea de re interpellatus, pro sua in Deum fiducia, et religionis Euangelicae amore, duras istiusmodi conditiones fortiter constanterque reiecit. Cum aulici in eo essent, ut mitiora consilia cum HENRICO communicarent, GEORGIVS Dux mense Aprili huius anni die XVII. ex viuis discessit, non veneno extinctus, perfidia Medici propinato, quae IO. COCHLAEI, ex Misnia profugij, in literis ad GASPARVM Cardinalem CONTARENVM exaratis, **) criminatio fuit, sed LXVIII. annorum senio, et animi aegritudine ac curis confectus, tandemque repentino morbi colici et iliaci insultu correptus ac oppressus, viuendi finem fecit, Testamenti formula de fratre et ceteris heredibus excludendis, nondum

*) Vide ODOR. RAYNALDVM *adhunc annum, Num. XIX.*

**) *Apud eundem l. c. §. XVIII. et ex eo apud illustrem SECKENDORFIVM l. c. f. 213. Errauit COCHLAEVS, dum die XX. Aprilis Duce[m] GEORGIVM exspirasse ait in eadem epistola l. c.*

dum signata, consummataque. GEORGIVM enim haec agitantem et parantem, mors anteuertit, vt omnino praeter voluntatem suam successorem et collectarum diuitiarum heredem nactus sit HENRICVM, *) totum in religione diuersum, qui accepto nuncio de fratris obitu, ilico, et eo ipso die, vt gubernacula fraternae prouinciae susciperet, Dresdam profectus, ciues in fidem recepit. Aduentantem sub diei emortalis vesperam aulici, qui viuo GEORGIO pristinis ritibus tam pertinaciter adhaeserant, et saepius, atque iurato, adfirmauerant, malle se in exilium abire, quam Euangelicam doctrinam amplecti, nunc derepente mutati, laeto vultu ac gestu nouum herum certatim et agminatim exceperunt, eademque sacra, quae ille profitebatur, aliisque commendabat, diuturnae obstinationis oblitum, haud difficulter susceperunt. Nonnulli equidem aulae proceres et consiliarii, perinde ac ex ordine nobilium, aliique, inueteratis corruptelis adfueti, et inde a cunabulis illis innutriti, animum ab instituenda religionis emendatione alieniorem ab initio non obscure prodebant. Obnitebatur etiam, quantum poterat, Praesul Misnensis, blanditiis vsus, et proluxa emendandorum abusuum pollicitatione. Foederis Norici Principes HENRICVM ab instituto retracturi, palam minabantur, ac ipse FERDINANDVS Rex, missis literis, quin et interpositis minis, a religionis mutatione eum deterrere laborabat. Verum nihil territus diuinus heros, sed Deo confisus, causaeque bonitate fretus, in instauranda, repurgandaque per vniuersam Misniam religione strenue perrexit. Diuus LUTHERVS a nouo Principe cum aliis Euangelii praeconibus Lipsiam accersitus, perauspicatum ecclesiae, doctrinaeque

B

emen-

*) Lege PHILIPPVM MELANCHTHONEM *in epistola ad IO. CAMERARIVM* p. 328.

X

emendandae initium fecit, ac primam concionem in huius anni parasceue Pentecostali recitavit, explicans textum festivalem Io. XIV, 23. in arce Pleissenburgensi, praesente praeter Ducem HENRICVM Septemuiro IOANNE FRIDERICO, cuius zelus et animi fortitudo sempiternis laudibus efferri meretur, quandoquidem HENRICVM in salutari instaurandae religionis negotio, et inolitis superstitionum foribus expurgandis, occupatum, confirmavit, et sua ope, prudentia, consiliisque ita adiuvit, et rem eo promovit, ut cum in Paschalibus feriis vbique in cunctis huius vrbis fanis sacrificuli boarent, et superstitionis ceremoniis sacra facerent, proximo Pentecostes festo, repentina et inexpectata rerum conuersione, pro cucullionibus, et fabulatoribus, concionatores Evangelici ad populum, ingenti numero confluentem, verba ex suggestu facientes, publice audirentur. Abrogatis abusibus, eiectisque Missae Pontificiae corruptelis, lingua vernacula decantabantur hymni euangelici, et media diuinae gratiae integre et incorrupte, secundum Seruatoris institutionem, administrabantur. Prima pentecostes feria B. LUTHERVS, aliqua capitis imbecillitate laborans, matutinam concionem IVSTO IONAE demandavit, vespertinam autem sibi vindicavit, verba faciens de diuinae gratiae amplitudine, in templo Thomano. Continuarunt Euangelii praeconium CASPARVS CRVCIGERVS, Theologus Vitembergensis, Lipsia oriundus, adeoque, ut alter quasi Lutherus, ciuibus nostris percarus, *) nec non FRIDERICVS MYCONIVS, antistes Gothanus, qui a Septemuiro Lipsiensibus aliquandiu mutuo dati, breui tempore disputando, et concionando,

*) CASP. CRVCIGERVS est Lipsiae et disputat et concionatur. Ante vriduum rixati sunt cum monachis Dominicastris in publica disputatione horis continuis octo. Ita PHIL. MELANCHTHON in epist. ad Camerarium p. m. 320.

nando, plus vtilitatis ecclesiae attulerunt, quam antea episcopi cum vniuerso clero, qui genio indulgentes, et luxu diffluentes, plebis salutem secure neglexerant. Lipsienses iugo Pontificio exempti, et post diuturnam ac grauem sitim e purioris doctrinae fonte recreati, vehementer laetati sunt, et in genua prouoluti, fufis prae gaudio lacrymis, diuinam clementiam ac prouidentiam celebrarunt pro tanti beneficii indulgentia, quod nunc tandem conscientiae suae satisfacere, et euangelicam doctrinam quotidie audire possent. Hoc ipsum dudum exoptauerant, et enixe petierant, sed non impetrarant. Neque enim existimandum est, vniuersam ciuitatem Lipsiensem vno impetu ac die, audita vnica LUTHERI concione, repente defecisse a religione antiqua, et defultoriam animi leuitatem hac ratione prodidisse, quemadmodum LVD. MAIMBURGIUS *) et FABER, continuator FLEVRII **) nostris exprobrarunt. Ciues enim permulti, GEORGIO Duce adhuc viuo, per annos XX. et librorum B. LUTHERI lectione, et frequenti commercio ac colloquiis cum Euangelicis, perinde ac ex purioris doctrinae auditu in locis vicinis, quo, ne excurrerent, nec minis, nec poenis impediri, aut abstrahi potuerunt, multa euangelii lucem iam collustrati erant, non ex plebe ***) tantum, sed et ex

B 2

Aca-

*) *Luther ayant été appelé à Lipsic par le Duc Henry y changea dans un jour, et par un seul sermon, qu'il y fit à la fête de la Pentecoste, l'état de la religion, et de Catholique, que cette ville avoit toujours esté, la rendit toute Lutherienne, in Historia Lutheranismi ad annum 1539. T. I. p. 244.*

***) *Hist. Eccles. Tom. XXVIII. p. 223. Luther proficant de l'inconstance ordinaire au peuple par un seul sermon, et dans un seul jour, il vit changer tout l'état de la religion dans cette ville, qui devint en un moment Lutherienne.*

*) Lipsienses ab initio statim, ex quo sacerdotum in Saxoniae Electoratu

Academicorum ordine, ac ipso ciuitatis senatu, qui, non obstante nonnullorum collegarum dissensu, religionis emendationem strenue adiuuit, et interiorum templorum structuram ita immutauit, vt publica sacra magno populi confluxu fieri, et suggestus sacri sine impedimentis conscendi possent, ne monachis quidem e Francisci fodalitio in suo fano, quod hodie instauratum, et decore ornatum, *Ecclesia noua* dicitur, publicum euangelii praeconium impedituris, etsi ostiatim obirent, et populum ab vtriusque symboli vsu in S. Eucharistia clandestinis insidiis auocarent. Multi sententiarum magistri et cuculliones, singulatim COCHLAEVUS et VICE-LIVS, quos Dux GEORGIUS ingenti cura et sumptu diu fouerat, latebras alibi quaesituri, clam excefferant ex vrbe: Reliqui qui manserant, ex Dominici praesertim et Francisci ordine ac familia, inter quos homines erant oris impuri, impudentes et maledici, THOMAE ac SCOTI opinionibus et tricus ab ineunte aetate imbuti, et fascinati, paullo difficiliore, et obstinatior facti, instituta in auditorio Collegii maioris solemniter, ac octo vel nouem horarum, disputatione, in praesentia Rectoris, atque omnium ordinum ciuiumque

conflu-

facta est emendatio, desiderium et amorem erga euangelicam doctrinam conceperunt et palam prodiderunt. Anno istius seculi XXIII. in hanc urbem veniebat M. SEBASTIANVS FROESCHELIUS, qui aliquem literarum et ingenii cultum in Academia Lipsiensi ceperat, sed Vitembergam delatus, et B. LUTHERI institutione vsus, ac in puriore religione confirmatus, ibidem Diaconi munere huc dum functus erat. Is hanc urbem vix ingressus, intellectu ciuium et amicorum audiendi euangelii desiderio, ac multis verbis rogatus, in aede D. Ioannis in suburbio iuxta portam Grimmensem publice et incorrupte praedicauit verbum Dei. Ad eum audiendum ingens ciuium, siti euangelicae doctrinae accensorum multitudo confluxit. Qui populi sitibundi confluxus nec antistitis Martisburgici, nec magistratus oppidani auctoritate, potuit reprimi, dum Principis iussu praeco Euangelicus, omni iniuriarum genere exagitatus, carceri includeretur, tandemque non sine infamia ex vrbe et Academia profcriptus euiceretur.

confluxu, ita fracti, et a MYCONIO ex sacris literis confutati, omniumque ludibrio expositi sunt, vt alii in monasteria se abderent, alii ad externa suae sectae collegia aufugerent, nocturnis aubus similes, quae sub solis ortum tenebrarum recessus quaerunt. Nec pauci, quorum animi ad capeffendam meliorem doctrinam proniores erant, rectius ex sacris literis eruditi, corruptelis ac ritibus superstitiosis abiectis, ad Euangelicorum partes vltro accefferunt, et in agris postea, ac oppidulis, emendatam doctrinam praedicarunt. Virgines Vestales paullo post, accepta aliqua argenti summa, domicilium suum ante portam Petrinam sponte dereliquerunt. Sic breui temporis spatio cunctis huius vrbis monasteriis cucullionibus vacuefactis, tandem illi etiam sodales *quatuor*, in Paullinis aedibus adhuc reliqui, solitudinis pertractati, certum vitae subsidium pacti, e Collegio Paullino, postea MAVRITII Ducis liberalitate Academiae dicato, non ilubenter discefferunt. Diuorum signa et statuae a plebe antea superstitiose cultae, e columnis templorum et aris deiectae, ex hominum conspectu sublatae; vestes pretiosae ad luxum, fastum et pompam Missaticam comparatae, sunt diuenditae, argento cum vasis pretiosis in aerarium ecclesiasticum illatis. Ne autem tenerae rudiorum auditorum mentes nimia rituum mutatione offenderentur, nonnullae veteres ceremoniae, quae citra superstitionem obseruari possunt, prudenter fuerunt retentae, perinde ac amicula lintea, et togae Dalmaticae, ab Euangelii praeconibus, sacra secundum Christi institutionem ad aram facturis, aut e suggestu concionaturis, induendae. Sed labrum aquae lustralis cum adspergillo, similiaque, velut superstitionis alimenta, continuo amota sunt. Eiectis sacrificulis cathedras in hac vrbe, cum Academicas, tum Ecclesiasticas, occuparunt Theologi pii ac eruditi, nostraque

XIV

laude maiores, insignem Doctoris titulum, omnium bonorum applausu, promeriti, eoque in solempni et prima promotione paullo post ornati, e quibus eminent CASPAR BOERNERS, nostrae Academiae non tantum, sed et vniuersae ecclesiae purioris peregregium decus ac ornamentum, nec non IO. PFEFFINGERS, sacrorum antistes primus in hac vrbe, antea praeconis Euangelici munere apud Belgranos, et in vicinia apud Quercum, quem iam olim ciues nostri frequenter audiuerant, praeclare functus. Ludis quoque literariis magistri de religione recte sentientes in hac vrbe et alibi, praepositi fuerunt. Nam ex quo Lipsia nostra, perinde ac Academia, cuius ordines et Doctores, quorum plerique, suae constantiae, vel peruiaciae potius, daturi exemplum, aliquandiu perseuerarant in opinionum prauitate, tandem rectiora edocti, abiectis erroribus, die XII. Augusti eiusdem anni 1539. solempni senatus Academici quatuor Nationum consulto, per paucis clam dissentientibus, Augustanam Confessionem amplexi sunt, corruptelarum sordibus fuit purgata, et salutaris doctrinae luce plene vsa est, ex agris etiam, et reliquis Misniae oppidis caligo, et superstitionis foeditas, pelli, et religionis puritas, quoad per ministrorum idoneorum penuriam fieri potuit, instituta Principis auspiciis solempni visitatione, per vniuersam prouinciam introduci ac confirmari, quin et ad vicinos populos transire coepit. Nam hoc eodem anno, cuius nunc memoriam laeta grataque mente recolimus, IOACHIMVS II. Septemuir Brandenburgicus, emendatam religionem amplexus, Euangelio ianuam aperuit, vt in ditionibus amplissimis, quod MAIMBURGIVS *) deplorat,

citra

*) MAIMBOVRG *l.c.* p. 244. vbi etiam de ALBERTO ait, illum coactum fuisse, nec ordinibus resistere potuisse. *Le Cardinal Albert Archevesque de Mayence, tout grand Catholique qu'il estoit, ne pouvant resister à ce furieux torrent, fut contraint, malgré qu'il en eut, d'accorder*

citra vllum impedimentum diuulgaretur. Nec ipse ALBERTVS, patruus IOACHIMI iunioris, Praeful Moguntinus ac Magdeburgicus, impediuit, quo minus et Magdeburgenses et Halberstadiensis ordines, soluta Principi obaerato ingente pecuniae summa, *) emendatam religionem palam profiterentur. Ab illo tempore, disiectis corruptelarum ac errorum sordibus, floruit apud nos cultus Dei purior in summa pace ac tranquillitate. Huc vsque Deus nobis ope praesidioque suo nunquam defuit.

Ante hos centum annos beati maiores nostri et vtriusque Reipublicae tam proceres, quam ciues vniuersi, et si durante bello tricennali, et hoc imprimis anno MDCXXXIX. maximopere pressi, et afflicti erant, non obstante calamitatum bellicarum acerbitate, et summa annonae difficultate, in publicam laeticiam effusi, laudes diuinas decantarunt, summum obtestati Numen, vt posteris puritatem doctrinae incorrupte conseruaret. Preces pro nostra salute superiori festiuitate seculari suas Deus perclementer exaudiuit. Vos igitur, CIVES, imitamini nunc tam pium et illustre maiorum exemplum, celebrate solemnia noui seculi auspicia, quae festum hoc Pentecostale nobis adfert, et in gratia ac amore Dei constituti, cognoscite diuinam indulgentiam, diligenterque commemorate, tum mores comprobate ad feriam pietatem compositos, et modestia atque humanitate perpo-

aux Dioceses de Magdebourg et d' Albersbad la liberté, que ces peuples voulerent auoir d' embrasser la Confession d' Augsbourg. Sed cur diuendit religionem argento? Aut qua ratione hoc conciliabitur cum eo, quod Ex-Iesuita paullo antea dixerat: Ces pauvres peuples, toujours tout prests à changer de créance, comme on veut, et à recevoir la Religion telle, qu'il plait, non pas à Dieu, mais à leurs Princes.

*) Vide DAVIDIS CHYTRAEI Chronicon Saxoniae L. XV. f. 444.

QR Yc 6081

ULB Halle

3


001 502 697



XVI

perpolitos, ac, conspirantibus ad communem salutem animis, supplicate nobiscum praepotenti rerum Statori, ac purioris religionis Vindici, et votis atque precibus coeleste auxilium efflagitate, vt procul omni vi hostiumque insidiis SERENISSIMVM POTENTISSIMVMQVE SARMATARVM REGEM, NVTRITOREM NOSTRVM ET PARENTEM PATRIAE LONGE INDVLGENTISSIMVM, cum domo Regio-Electorali saluum praestet, Saxoniamque nostram cum vniuersa, qua purior est, Ecclesia, a periculis, et quibusuis temporum iniuriis defendat, fortiterque tueatur. Votorum soluendorum et nuncupandorum gratia crastino die, quod felix faustumque sit, frequentes coibimus, et ex aedis Nicolaitanae sacello, hora XII. audita, procedemus in Templum Academicum, ibidem inter Musicos concentus Deum dilaudaturi, eumque obtestaturi, vt pacem et tranquillitatem ac religionis puritatem apud nos rite constitutam, et per bina haec secula adsertam, porro vsque ad huius vniuersitatis finem benignissime conseruare velit. Confirmabit et excitabit nos ad hoc pietatis officium, Vir Maxime Reuerendus Amplissimusque DN. M. CHRISTIANVS WEISIUS, facundissimus ad aedem D. Nicolai concionator vespertinus, orationem recitaturus secularem, pererudite atque eleganter conscriptam, qua *Lipsia sacris de fide certaminibus incluta, victoriis diues*, describetur. Ad quam panegyrim ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSIMOSQVE VTRIVSQVE REIP. PATRES, cum vniuerso Generosissimorum ac Nobilissimorum ciuium coetu, ea, qua par est, obseruantia atque humanitate inuitamus. P. P. pridie diei festi Pentecostalis A. O. R. cIo Iccc XXXIX.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



h. 91, 5.

LXXII b. II, 47.
D. S. Deyling
De reformat. vobis Lipsiens. Patet, periculis &
difficultatibus huius temporis

YC
6081

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SACRA
PENTECOSTALIA

ET
SECVLARIA MDCC

SOLEMNI RITV
ATQVE

ORATIONE PVBLICA

IN
AEDE PAVLLINA

CELEBRANDA

QVA PAR EST HVMANITATE
INVITAT

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)